MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS V: 1.9. 1.11.)
Melk, 1471 Seite 62r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift



porphirius baptizatus est. Iterumque missarum celebrata solemnia secum omnes refectionibus ad esse precepit: omnisque ciuitas uisis his miraculis letabatur. Porphyrius uero sequenti die gaudens et exultans migrauit ad dominum. Qui autem cum ipso aduenerant fide recepta ad sua habitacula sunt reuersi, paruipendentes in parialia iussa. Diuulgabatur autem fama tanti pontificis longe lateque per mundi spacia et uirtutes quas per eum xpus dominus faciebat. Nam sicut helie helizeus ita hic prudentissimus uir sancti syri heres uirtutum extiterat. ac spiritalium successor moribus gratiarum. Ordines autem mediolanensium urbis cleri uel sacerdocii qui ab eodem fuerant constituti eius dicioni permanentes quotidianis eiusdem augebantur exhortacionibus in fidei religionisque gratia. Ad quos isdem beatissimus uir pro eorum ac fidelium populorum mentibus confirmandis ibat frequencius. ibique multorum mirabilium uirtutes operans urbem reuertebatur papiam. In qua superne gratie largitate officii sui honore fungens xxx et nouem annis episcopalis dignitatis cathedram tenuit. Hic tantus operarius xpi crebris in basilica beati nazarii quam ipse construxit uigiliarum excubiis pernoctabat in sacris orationibus. Sed quadam die filiis astantibus sacerdotibus ac clericis retulit apparuisse sibi dicens: circa medie noctis silencium sanctissimum syrum quem etiam patrem memorabat ex baptismo cum nazario et celso. prothasio atque geruasio ueniendis matribus talia proferentem. Hyuenti dilime iam te oportet gaudere nobiscum in celestibus. et scias te proximo ad nostram consortia transiturum. atque tercium post hunc diem aulam celestis patrie percepturum. Quibus dictis ab oculis meis ablati sunt. Omnes uero qui presentes aderant. auditis his sermonibus ualde tristes effecti sunt. Ipse autem immenso gaudio letabatur. et biduo ante eandem peruigil consistens. basilicam tercio die qui est dominice resurrectionis sollemnia missarum celebrans. omnem populum benedixit. ac sacerdotes ministros cunctosque cleros celestibus alloquiis admonens. lucide mansionis et beate uite habitacula possessurus intrauit. Sanctas uero corporis eius excubias iuxta honorem et reuerenciam tanti sacerdotis competentem. in eadem basilica intra crepidinem altaris uicinia condientes posuerunt vi die iduum februariarum. ubi et nunc usque sancta ossa eius quiescencia uirtutibus florent atque miraculis. Prestante domino nostro ihesu xpo. Qui cum patre etc.

Passio s philippi epi. et eugenie filie eius. Idus Septi.

Septimo consulatus sui anno modus imperator direxit philippum illustrissimum uirum ad egyptum. ut prefecturam ageret alexandrie. et omnes potestates que per totam egiptum administrantur eius arbitrio deseruirent. Hic autem cum uxore sua claudia et duobus filiis auito et sergio. et filia sua eugenia ab urbe roma grauitate ageret prefecturam. atque omnem prouinciam egypti romanis legibus ordinaret: cunctis quidem magicam artem sectantibus curiositatis finem imposuit. iudeos uero nec nominis nuncupacionem habere permisit. christianos uero ab alexandria procul tantum esse constituit debere. ipse uero licet plus foret amicus philosophorum quam fautor idolorum. romanis tamen superstitionibus ac si religiosus cultor instabat. non rationi sed tradicioni concordans. Eugeniam igitur filiam suam dum litteras liberales perfectissime docuisset. et tam eam latino quam greco eloquio instruxisset. etiam philosophiam doceri permisit. Erat enim

ad alexandriam dum uenisset et romana